

dem Jupiter nocere posset, &c. Plura ap. *Plut.* si lubet, evolvas.  
De re rusticâ *Catonis* hæ regulæ circumferuntur. *Prædium ne  
cupidè emas; quod malè emtum, semper pœnitet; agricola non de-  
bet esse emax, sed vendax; malus ager, cum quò luctatur Dominus;  
frons Domini plus prodest, quam occipitium.*

Atque sic prudentiam dividere consueverunt: verum e-  
nim verò rem ipsam pensulatiùs cogitantes, hanc potius di-  
stinctionem, quam veram & realem divisionem esse, deprehen-  
dimus. Nam *Prudentia simpliciter talis, à prudentia secundum  
quid tali, quoad rem hanc quaquam differt, verum simpliciter u-  
num cum ipsa idemque est, sicut prudentia nautica, quâ nauta ve-  
hit seipsum, & secum alios, simpliciter unum idemque est: est itaq;  
tantum diversus unicus ejusdemque Prudentia respectus ad diver-  
sa, qui non est sufficiens ad constituendam veram divisionem fun-  
damentum, ut Excellentissimus *Georgius Moral. P. P.* famigera-  
tissimus in *Lectioibus publicis* ostendit. *Dividitur autem po-  
tius Prudentia, ut ejusdem verba denuò mea facere liceat, in  
tres partes quasi integrantes, nimirum in prudentiam Legislato-  
riam, Consultatoriam, atque Judicatoriam. Dico: quasi inte-  
grantes: est enim analogia quæpiam inter prudē. iam atque has tri-  
as partes ac inter totum integrale & partes integrales, quæ in hoc  
consistit, quod sicuti totum integrale constat quantitate suarum  
partium, ita prudentia constat numero harum partium ut una ip-  
sarum absente prudentia talis amplius non sit, neque hoc nomine  
dicenda. Hæc ille.**

§. 23.

*Prudentia Legislatoria est, quæ necessarias & salubres fert  
Leges, quibus finis toti societati præfixus in societatem introducè  
possit. Hæc Prudentia D. Thomæ Regia dicitur, quia in Re-  
gum Potestate est, Leges ferre. Philosopho venit nomine ar-  
chitectonicæ, formam enim gubernandi præscribit, totamque  
societatem velut architectus in extruendâ domo dirigit, & or-  
dinat. Principium, ex quò prudentia νομοθητικὴ Leges dedu-  
cit, sunt *Lex divina, & naturalis*; à quarum vel utraque vel al-  
terutrâ illarum accersantur, necesse est.*

§. 24.